

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

- «Vox Urbis» ad pedes Pii X Pont. Max.  
De Evangelii S. Ioannis historica veritate.  
Humanio es litteras pietati in Deum piurimum conferre.  
Paroemiae sive adagia. Delphinum naturae doces.  
Ex Batavia. De certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXI.  
Strages Infantium Bethlehemitarum. (Carmen in certamine poetico Amstelodamensi a. MCMXI magna laude ornatum).  
Stili lapidarii elementa. Litterae inscriptionum singularium et vocabula decurtata.  
Mosis gesta ab Alexandro Botticelli picta.  
Ludi puerorum apud Italos. De folli, gummi brasiliiano confecto, vulgo foot-ball.  
Colloquia latina. Obsequia scholastica invicem praestita.

- Ex Italis urbibus. De statua in honorem et memoriam Ioannis Bosco sacerdotis Augustae Taurinorum locanda.  
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae: Ex Congregatione de Religiosis — Ex Congregatione Rituum. — Ex Congregatione Indicis.  
Diarium Vaticanum: Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones.  
Annales: Italici regis vita nefarie petita. — Bellum inter Italos atque Turcas.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis.  
Per orbem.  
Librorum recensio. (P. Recanatesi. - A. Nardi).  
Aenigmata.  
Appendix: Anthea.



## “VOX URBIS” AD PEDES PII X PONT. MAX.

Quintodecimo kal. April., in vigilia diei nominalis Pii X. Pont. Max., is qui Commentarium nostrum moderatur, coram SSmo. privatum admissus, fasciculum *Vocis Urbis* illis diebus editum offerbat, una cum Scriptorum Sociorumque omnibus, per carmen Francisci Xav. Reuss ibidem expressis.

Summus autem Pontifex, qua fuit et est erga nos benevolentia, labores nostros pro Latina re laudibus iterum iterumque extulit, ut in incoepitis forti erectoque animo persistemus incitavit, suaequae gratiae novum testimonium, Sociis omnibus atque Lectoribus peculiarem Benedictionem peramanter imperire dignatus est.

Quod bonum singulis, felix faustumque siet!

## De Evangelii S. Ioannis historica veritate

Circa saeculi xviii finem, de historica veritate Evangelii S. Ioannis dubium ortum est; Protestantiumque quorumdam mens fuit, S. Ioannis Evangelium vel a quodam philosophiae platonicae assecla, vel a quodam christiano Antiochiae existente, vel a quodam S. Ioannis discipulo fuisse conscriptum.

Insurgente vero Modernismi haeresi, iuxta nonnullos S. Ioannis Evangelium compositio quaedam mythica est, non a discipulo, neque a Christi amico conscripta, sed a poeta quodam, altissima praedito phantasia, ex cogitata; vel compositio quaedam idealis est ex Synopticonum narrationibus efformata; vel partim ab Apostolo, vel partim a discipulo eius, vel a solo discipulo scripta.

Ultimis temporibus, in vulgus editus est Liber Salomonis Reinach, cui titulus «Orpheus», in quo praeter multa contra Ecclesiam Ecclesiaque dogmata doctrinasque ex malevolo dicta animo, asseritur «quartum Evangelium, a S. Ioanne nuncupatum, cuiusdam Iudei Hellenici, a Philone Alexandrino inspirati atque Evangeliorum Synopticorum notitiam habentis, opus esse. Est scriptor ille non iam historicus, sed mysticus quidam, atque Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitutae». (1)

Relicto solidio Traditionis ecclesiasticae argumento (S. Irenaei, Clementis Alexandrini, Theophili Antiocheni, Codicis Muratoriani) utpote omnibus noto, Evangelii S. Ioannis «historicitatem» variis ex argumentis vindicare nobis in animo est.

(1) *Orpheus — Histoire générale des Religions*, chap. viii, — *Les origines chrét.*, 17, 6<sup>o</sup>,

Evangelii S. Ioannis historica veritas apparet :

I. — *Ex factis quibusdam.* — a) Quartum Evangelium characteribus ita individualibus praeditum est, ut ad Synopticorum differentiam, nequeat a traditione quadam populari ubique diffusa originem ducere. — b) Secundi saeculi initio in auctorum ecclesiasticorum scriptis stylus ac S. Ioannis mens expressa inveniuntur; ex. gr. « nasci ex carne, — venire in carne, — esse de terra, — renasci, intrare in regnum caelorum ». Quae omnia quarti Evangelii existentiam cognitionemque praeponunt. — c) Ex verbis ipsis eiusdem quarti Evangelii. Nam in cap. XIX, 35 legitur : « Et qui vidit, testimonium perhibuit » ; et in cap. XXI, 24 : « Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et seripsit haec » ; quae duo, scriptorem quarti Evangelii testem fuisse ocularem satis indicant. — d) Ex eiusdem quarti Evangelii testimoniis. Nam in cap. I, 40, legitur : « Unus ex duobus qui audierant a Ioanne... » et (XIII, 23) : « Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus... ». Item (XVIII, 15) : « Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alias discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici... » ; (XIX, 26) : « Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat... » ; (XXI, 20) : « Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius ». Addatur factum dissensionum inter negantes quarti Evangelii apostolicam originem et historicitatem existentium. Critici siquidem negantes, dum de negatione historicitatis agitur, unanimes inveniuntur, sed discordes sunt, dum agitur de interno examine S. Ioannis Evangelii, neconon de testimonio quod Evangelista sibi ipsi tribuit : ita ut quod unus criticus « scientifice » adstruit, alias « scientifice » destruat, atque verba Alberti Ritschl ad litteram verificentur : « Facilius est admittere, quam reiicere Evangelii S. Ioannis genuinitatem ».

II. — *Ex Commissionis Biblica responsis.* — Siquidem, quaesitum fuit primo : « Utrum ex constanti, universalis ac solempni Ecclesiae traditione iam a saeculo II<sup>o</sup> decurrente, prout maxime eruitur : a) ex S.S. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum imo etiam haereticorum testimoniis et allusionibus, quae, quum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexus cum ipsa libri origine cohaerent ; b) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrorum librorum ; c) ex eorumdem Librorum vetustissimis manuscriptis codicibus, et in varia idiomata versionibus ; d) ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente ; - praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur *Ioannem Apostolum* et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticiis in oppositum ad-

ductae hanc traditionem nullatenus infirment ? Responsum est : *Affirmative*.

Quaesitum fuit secundo : « Utrum etiam rationes internae quae eruuntur ex textu quarti Evangelii se iunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I<sup>a</sup> Epistola Ioannis Apostoli manifesta cognitione, censenda sint confirmare *traditionem quae eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit?* — Et utrum *difficultates* quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor seripsit, *soluti rationabiliter possint*, prout S.S. Patres et exegetae catholici passim praestiterunt ? Responsum fuit : *Affirmative* ad utramque partem ».

Quaesitum fuit tertio : « Utrum, non obstante praxi, quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam *ex documento proprio historico*, considerata nihilominus in deo peculiari eiusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit *facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta* ad hoc ut sint *allegoriae* vel *symbola doctrinalia*, *sermones vero Domini* non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed *compositiones theologicas scriptoris*, licet in ore Domini positas ? Responsum fuit : *Negative* ».

III. — *Ex criticorum auctoritate.* — Plurimi ex criticiis (Drummont, (1) Walther, Polidori, Ceriani) contra historicitatem quarti Evangelii negantes seriperunt. Conclusiones duorum inter recentiores criticos afferre libet. Et primo clarissimi doctoris Lepin. (2) Qui adhibitis recentioris criticae mediis, sub triplici respectu, idest, in ordine ad tempus, ad locum et personam, S. Ioannis Evangelium considerat, atque sequentia statuit :

a) Circa tempus. — Omnes critices investigationes hinc a quinquaginta annis, plene confirmant fidem Traditionis relate ad tempus in quo S. Ioannis Evangelium compositum fuisse asseritur.

b) Circa locum. — Duo scientia critices definitive obtinuit : primum est, quod quartum Evangelium, iam a secundi saeculi initio exstebat, nihilque impedit, quominus, prout primitiva traditio exigit, ad primi saeculi fidem pertineat. Secundum est, quod ratione originis quartum Evangelium iure ad Ecclesiam Asiae Minoris pertinet, et verius ad regionem Ephesinam, cui a primitiva traditione tributum est.

c) Circa personam. — Ex una parte, gravissimae difficultates, quae Apostoli Ioannis mansioni in Asia

(1) *An Inquiry into the Character and Authorship of the Fourth Gospel*, 1904. — AD. HARNACKS *Wesen d. Christ. für die christliche Gemeinde geprüft*, 1901. — *L'autore del quarto vangelo rivendicato*. Roma. Civ. Catt. 1903. — *Scuola cattolica*, Milano, 1903-1904. — Cf. R. MARIANO (Rass. Naz. Die. 1900, 2 p. 413), « *L'esclusione dell'Evangelio di Giovanni storicamente infondata* ».

(2) *L'origine du quatrième Evangile*. Paris, 1907.

obiiciuntur, vel ad silentii argumentum, de quo difficulter iudicium profertur, vel ad testimonia dubia, uti Papiae testimonium relate ad Ioannis martyrium; vel ad incertissimas coniecturas, absque solido pro re nostra valore, uti coniectura cuiusdam Ioannis simplicis presbyteri, vel coniectura de duobus Philippis a Polycrate confusis, reducendae sunt. Ex alia parte multa habemus quae Traditionis sententiam manifeste corroborant. Ita ex. gr. identitatis factum inter Ioannem Ephesinum et Ioannem Apostolum, quacumque contradictione remota, in iisdem Ecclesiis Asiae Minoris et praecipue in Ephesina Ecclesia tempore Polycratis, S. Irenaeis, Montanistarum necon tempore S. Iustini conversionis, affirmatum. Idemque factum per testimonium directum S. Polycarpi, sive Romae coram Aniceto, sive Smyrnis coram Irenaeo, tum per Florinum, tum per alios Asiaticos statuitur.

Supra omnia vero impossibile est, penes testes omnimode independentes, atque primordiis maxime vicinos, deceptionem tam vulgarem supponere. Huiusmodi testes sunt Polycrates Ephesus atque ii qui eum circumdabant, S. Irenaeus, omnesque cum quibus communicavit, S. Iustinus duplii cum traditione, romana nempe atque ephesina, quas representat. Quisquis omnia haec diligenter subiicit examini, cogitur fateri, Ioannis mansio-  
nem in Ephesina Ecclesia esse factum certe admittendum. Obscuritates partiales adesse possunt; attamen umbrae huiusmodi, valere nequeunt contra lucem, quae simul omni ex parte circa principale quaestio-  
nis punctum emanat. Sententia de mansione S. Ioannis Ephesi, tam certa Lepin doctori visa est, ut aperte fateatur non esse a longe tempus in quo a criticis vera independentia praeditis, mansio haec recognoscenda sit. (1)

Secundo repetendae sunt conclusiones revni d. Battifol (2): a) Tuto retinendum est, quartum Evangelium S. Ioanni Apostolo iure tribui. Assertum enim huiusmodi ecclasiasticae Traditionis, tum per magni momenti testimonia (S. Irenaei, Clementis Alexandrini, Theophili Antiocheni et Codicis Muratoriani), tum per internae criticis motiva circa eiusdem Evangelii comprobatur. b) Narrationes sermonesque quarti Evangelii fictiones non esse, quia theoria de Symbolismo, in qua assertio praedicta innititur, omni destituitur solido fundamento, neque amplius criticis arridet. (2)

\*\*\*

Dum vero Modernistae opponunt: «Si Christus loquutus est et egit, sicut iuxta Evangeliorum Synopticonum narrationes loquitur et agit, non potuit loqui et agere sicut loquitur et agit iuxta S. Ioannis narrationes, quia in primis sensibilis est Christi magnitudo, quamvis signis circumdata humilibus, vitaque illius, uti cetera omnia, naturali modo explicatur, dum e contra in

S. Ioannis Evangelio, Christus prodiga operatur, magna ingerit admirationem, doctrinaque quam tradit, altitudine sua omnes studefacit, a nullo homine intellegi potest, ac Persona transcendens est, diversimode respondetur»; Angelicus doctor (1) diversitatem existentem inter Christum Synopticorum et Christum a S. Ioanne descriptum explicat per diversitatem *materiae* quarti Evangelii ac aliorum Evangeliorum. En eius verba: «Colligitur materia huius Evangelii; quia quum Evangelistae alii tractent principaliter mysteria humanitatis Christi, Ioannes specialiter et praecipue divinitatem Christi in Evangelio suo insinuat... nec tamen praetermisit mysteria humanitatis; quod ideo factum est, quia postquam alii Evangelistae sua Evangelia scripserunt, insurrexerunt haereses circa divinitatem Christi: quae erant, quod Christus erat purus homo, sicut Ebion et Cerinthus falso opinantur. Et ideo Ioannes Evangelista, qui veritatem Verbi ab ipso fonte divini pectoris hau-  
serat, ad preces fidelium, Evangelium istud conscripsit, in quo doctrinam de Christi divinitate nobis tradidit, et omnes haereses confutavit... Ioannes designatur per aquilam: et hoc, quia quum alii tres Evangelistae circa ea quae Christus in carne est operatus, occupati, designantur per animalia quae graduntur in terra, scilicet per hominem, vitulum et leonem; Ioannes vero supra nubila infirmitatis humanae velut aquila volans, lucem incommutabilis veritatis, acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur, atque ipsam Deitatem Domini nostri Iesu Christi, qua Patri aequalis est, intendens, eam in suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, studuit praecipue commendare».

Sed etiam per diversitatem scopi, necon per diversitatem modi quo Evangelistae Evangelium ab ipsis conceptum scripserunt, explicatur oppositio praefata. Nam S. Matthei scopus in Evangelio suo conscribendo videtur fuisse, oeconomiam salutis explicare, ad divinae Providentiae iustificationem, dum populus Iudaicus reiebatur et gentes ad Christi fidem vocabantur. Iuxta vero S. Marci Evangelium, quia Christus mirabilia operans, daemonibus, discipulis, et ab eo sanatis praecipit ne aliiquid dicant, silentiumque imponit, satis apparent mentem Evangelistae fuisse Iesum Christum non uti Iudeorum Messiam sed alio sub aspectu describere, lectoribusque tradere. Hinc S. Marci scribentis scopus fuit: a) Personam Salvatoris, qui tamquam simplex regni praedicator ad populum Iudaicum venerat eidem populo abscondere. (MARC. I, 24, 25, I, 43; III, 11-12). — b) Eiusdem personae revelationem ad solam discipulorum notitiam restringere. (MARC. VIII, 30). — c) Revelationem hanc tempore opportunno aliis manifestam facere. (MARC. IX, 8). Diversus quoque fuit in Evangelio scribendo S. Lucae scopus ac S. Matthei et S. Marci. Dum pro S. Mattheo et Marco, Evangelium nonnisi regni Dei praedicatio est, facta a Christo

(1) Cf. cap. II, §. I, p. 59; 7, §. II, p. 71; cap. III, §. II, 163.

(2) *Orpheus et l'Évangile*. — *Les Évangiles* (10 Avril 1910. VI).

(3) *Prologus in Evangel. Ioannis.*

a baptismate usque ad mortem eorumdemque Evangelia nonnisi huius praedicationis historia sunt; pro S. Luca Evangelium est salus, quam Messias morte sua intercedente pro aliis acquisivit, cuius resurrectio est argumentum quod mors illa tanquam sacrificium expiatorum efficaxque apud Deum accepta fuit. Salus haec ab omnibus hominibus possideri potest, dummodo ad eamdem per poenitentiam se praeparent. S. Ioannis denique scopus in conscribendo Evangelio fuit, Iesu Christi divinitatem contra insurgentes haereses defendere novisque solidare argumentis. Existente propterea huiusmodi scopi diversitate necnon diversa Evangelii conceptione penes Evangelistas, nihil mirum, si differentia quaedam inter personam Christi a Synopticis descriptam, et personam Christi descriptam ab Ioanne existat. (1)

Quidam scriptores denique differentiam praedictam explicant per hoc, quod Evangelistae Synoptici facta vitae Christi referunt in eorum obiectiva atque historica traditione, verbaque Christi referunt prouti a Christo prolati fuere; dum e contra Ioannes Christi doctrinam tradit, prouti doctrina haec, vitali ac intelligibili modo in mente eius, post longum praedicationis meditacionisque exercitium existebat. Qui S. Ioannis Evangelii historicitatem impugnant, norma a Pio X sapienter damnata moventur, quae norma «tandem aliquando in mere subiectivam recedit» et iuxta quam, uti pulchre Pontifex ait, «est geminus Christus, realis alter, alter qui nunquam reapse fuit sed ad fidem pertinet; alter qui certo loco certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur: eiusmodi, exempli causa, est Christus, quem Ioannis Evangelium exhibet: quod utique, aiunt, totum quantum est commentatio est». (2)

\* \* \*

Propter dicta apparet, quam sapienter, iure meritoque, Pius Papa X damnaverit propositionem decimam sextam Modernismi, quae ita sonat (*Syllab.*): «Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones in eius Evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae».

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) Cf. FEI, *Propaed. ad s. Theol. De Evangeliiis* art. 3.

(2) Epist. Pii P. X *Pascendi*, 8 Sept. 1907.

. . . . . Absentem qui rodit amicum,  
Qui non defendit, alio culpante, solutos,  
Qui captat risus hominum famamque dicacis,  
Fingere qui non visa potest, commissa tacere  
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

HORAT., *Satyr.* I, 4.

## HUMANIORES LITTERAS

### PIETATI IN DEUM PLURIMUM CONFERRE (1)

Ut inde oratio proficiscatur unde tota tractatio deducitur, haec de qua loquimur pietas, a sapientibus haberi debet omnigenarum virtutum regina seu mater, quae omnibus antecellit, et quasi comites aut administras ceteras, ut sibi auxilientur, adducit. Quid enim prudentia, quae, ut ait Tullius, in perscientia veri solertiaque versatur, nisi cum pietate copuletur, et Deum ipsum, primam summamque veritatem, respiciat? quid fortitudo in exantlandis laboribus ut ad virtutem pergit, nisi ad Deum ferat, in cuius obsequium bellum fortes voluptatibus indicant, quae mediocres homines transversos agunt? Iure igitur Homerus poëtarum principes, quamquam verae pietatis nescius, totius narrationis fundamentum in eo posuit, quod Atrides Apollinem, Deorum sanctissimum, despexit; idemque Maro quum opus aggressus est, ut aliquid Iliade maius nasceretur, insignem pietate virum ab initio se celebratum admonuit, totoque carmine pium Aeneam appellavit, ut legentium animos maxima in eum benevolentia devinciret.

Quod si tanti faciendam pietatem putaverunt viri sapientia poëticaque facultate praestantissimi, quamquam vix illius umbram cernere valuerint; quid de hac nostra dicemus, quae sublimibus fulta veritatibus, homines ad sublimia excogitanda ac sectanda adducit, efficitque ut illi rebus vel integre, vel fortiter gestis, inter vitiorum foeditatem, quocumque locorum hodie irruptentem, ad gloriam virtutis via grassetur? Sed externus honor, quo haec virtutum magistra refulget, haud tantus est, ut ad eius comparationem tot essent adeundi labores. Huc vero accedit quod ea sola nobis caelorum aeternas domos reserat, nos ad Deum evehit, ut animus noster incorruptus, egregiorum facinorum fama honestatus, beata immortalitate fruatur, divino illo sanguine nobis comparata, qui homines expiavit atque in mala prouentes erexit. Quod quum prae aliis optimum maximumque sit, ut id adipiscamur, summa vi opera danda est: omnia sunt obstacula auferenda, omne, quamvis insuperabile impedimentorum genus, superandum. Pereant profecto, si ad aeternae laureae victoriam opus sit, pereant artes ingenii inventa: pereant altiorum scientiarum disciplinae, si homini summum bonum invideant; pereant denique litterae ipsae humaniores, si ita sint mortalibus adversae, ut eos longius a supra felicitate propellant.

(1) Dum magis magisque in dies cultum et humanitatem a Deo stulti homines, vel in scholis inferioris ordinis, detrahere conantur, iuverit nobis, qui ea acerrime tueri gloriamur, clarissimi illius Mauri Ricci, Latinarum Italicarumque litterarum decoris, magistri quondam nostri suavissimi, non sine quodam religionis sensu vocem revocare, qui hoc maximis momenti argumentum non semel in suis operibus pertractavit. Quas paginas hodie referimus, inter eius scripta invenimus, quae, ut meminerint fortasse lectors, ipse abhinc annos duodecim, iam prope mortem adductus, moderatori nostro, Iosepho Fornari, tradidit in *Voce Urbis* quandocumque vulganda.

Sed nullam (sic placitum Deo) harum disciplinarum perire necesse est: stent utique universae ac florent; novis quotidie incrementis auctae, utiliores scientiae, vaporantis aquae vi, pennas non homini datae hominibus addant, tenuique filo ignotus spiritus per terrarum vastitatem supra subitusque pelagi fluctus, gentibus ab orbe divisis verba ferat. Stent bonaे litterae, quae tum magniloqua vehementique oratione mortalium pectora commoveant, tum lyra vel tibia viros atque heroas sumant celebrare. Stent atque, ut Tullii verbis utar, nostram adolescentiam alant, senectutem oblectent, nobiscum peregrinentur, rusticentur, quippe quae non solum cum sancta pietate merito coniunguntur, verum etiam illam in nostris cordibus servatam augent, dulcissimaque aspergunt voluptate, atque ad eam quam etiam atque etiam pertingere metam avemus nos, ut in beatitatis portum, adducunt.

Quid enim volunt, quorsum eae spectant, quibus obsequimur, humanae litterae, quasque bellissimum ceterorum studiorum ornamentum praedicamus? Hue profecto intendunt, ut hominum mentes, quum ad eas accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, excolantur, ac naturae ipsius habitum, prope belluarum, expellentes, ad vera agnoscenda ac sentienda potiores evadant. Huc intendunt, ut dulcedine seu solutae sive ligatae orationis, nostris auribus emollitis, mitibus sensibus assuescamus, ponamusque, ut princeps poëtarum ait, corda ferocia, rudesque mores exuamus, quos cum hominum ingeniis ubique natura copulavit. Quid igitur si nostrae mentes perpolitae ad veritates adipiscendas magis acuantur, eruntne ad sanctissima nostrae religionis documenta obtusiores? si sensus mitiores induemus, si rerum creatarum magnificentia melius perspecta, huma-numque genus dulciori amore prosequuti, ita erimus affecti, ut naturae admirabiles prospectus, ut excelsas cogitationes et egregia facinora cum animo reputemus, nihilne ad debita erga homines officia, ad inopum miserationem, quae christianaе doctrinae veluti fundamenta habentur, proficiemus? Scilicet intellectus, qui neque humanarum veritatum neque inventorum excellentiam percipiat, ad Deum recte colendum facilius feretur! scilicet animus, quem bene factorum pulcritudine lateat, cuius evulganda litterarum est praecipuum munus, ad benefacta promptius impelletur! Unde fieret mentis socordiam, morumque incultum pietati prodesse, atque eo magis ad illam perveniri, quo magis hebeti corde imbecilloque animo quisquam se praeditum ostenderet. Hanc scio sententiam esse quorundam impiorum hominum, qui ad inertiam et corporis voluptates, veluti pecora, pessum dati, ut iuvenes in virtutis via remorentur, pietatem decere inclamat foeminis puerisque, non viris, quippe vel infirmi intellectus, vel angusti animi luculentissimum argumentum. Ignorant videlicet hi adolescentium perditores, quot doctrina rebusque sanctissime gestis celebrandos viros haec pietas ediderit, qui nisi historias honestarent, eae utique nihil pene

insigne, praeter insignia flagitia, posterorum memoriae mandarent. Nisi vero mente captum Dionysium, illud Areopagi lumen, habeamus, vel Augustinum, qui de rebus scriptu difficillimis sapientissime disseruit, vel Thomam Aquinatem, cuius omnimoda sapientia philosophi omnes magis in dies obstupescunt, vel innumeros alios, quorum si nomina tantum recenseremus, longissime oratio nostra vagaretur.

Quae quum sint, videte, num pietatem cui omni ope studere oportet, nisi ita stulti simus ut vitam immortalem pro nihilo habeamus, possint liberalia haec studia nostra vel penitus destruere, vel saltem quam minimum debilitare. Quid vero si non modo ea virtutis illi praeclarae non adversari, verum etiam maxime favere atque inservire contendam? Namque si recte investigemus quomodo huiusmodi pietatis sensus atque haec Dei colendi cupido in mortalium cordibus exoriatur atque efflorescat, quae ad sancta facinora nos advocat, profecto inveniemus sacrarum veritatum contemplatione ortam, vehementi earum comprehensione incalescere. Quanto itaque facultatum acumine litterariis laboribus exercitus intellectus, mortalia despiciens, sublimi volatu ad ea contemplanda erigetur, quae hinc fulgentissimum splendorem emittentia, inde per obscuris tenebris involuta, *dogmata* appellantur? Quarum veritatum pulcritudinem tantam magistri agnoscunt, ut ne maximi quidem veteris philosophiae doctores, sive Academicici, seu Stoici quam longissime sint suspiciati. Praeterea ad animos bene a natura informatos commovendos, nil potius est quam eae sacrarum historiarum narrationes, quae a pientissimis viris in lucem editae, nobis vel facta commemorant Dei humanum morem induentis, vel eorum, qui maximos labores divino nutu suscipientes, religionis statuendae habiti sunt auctores. At qui melius eloquentiam vel poetice didicerit, ad ea secum cogitanda melius erit affectus, divinique Filii e caelo descendensis amorem, quaecumque pessima per patientis in summo monte tolerantiam, ac memorabilem occubitum, humanique generis in libertatem vindicati auctam dignitatem, optime noscet ac merito existimabit. Dummodo perridiculis argumentis adducti easdem facultates, quae litterarum pulcritudinem percipiunt, ad pulcherrimatum nostrarum religionum intelligenda impotes futuras non reputemus. Sed si monumentorum rationem habere velimus, quae per cunetas Italiae regiones, immo per universum terrarum orbem, scriptis commissa, pieta ac sculpta, vel architectonico magisterio extracta exstant, quibus, rerum mole solum animadversa, imperitissimi etiam fidem adiungunt; nunquam his fallacibus opinionibus acquiescemus. Quis enim, nisi prorsus sensum pudoremve abiecerit, disserere erit ausus de pietatis contralitteras repugnantia, quum neminem lateat quot litteratissimi viri suis operibus, atque iis operibus, quibus humanum genus possit sumere superbiam quaesitam meritis, huius scilicet pietatis egregiam virtutem resque praecclare gestas argumentum dederint? quis

nostrum inficiabitur, hanc quam volumus pietatem innumeris tabulas aeternis, ut ita dicam, coloribus depictas, figuræ aere mirabiliter delineatas, multaque aedificia, ob quorum excellentiam Italiae decus adhuc exteris gentibus luceat, peperisse? Perpendite, quæso, paullisper divina Aligherii carmina: quibus perfectis, obiciat aliquis pietatem a Christi veritatibus excitatam litteris contradicere, quum ipsae litteræ sibi præcipue pietatis miracula canenda assumant. Videte vel primas syllabas vindicatae Solymæ; noscetis illico quot stimulos haec pietas adiecerit Torquato, pia bellatorum arma celebraturo. Si Philippus ille Brunelleschius camerati templi tholum, trecentorum artificum undecimque convenientium unus quasi ludens ad caelum sustulit, pietati (1) debet, quæ audaciam animo, robur ingenio addidit: altissimum enim opus aggrediebatur Caelitum Reginam sibi affutaram confidens. Si Raphaël, quo tantum Italia patria superbit, humanas formas in iugo Palaestinae celeberrimo divinitus immutatas depinxit, Deique maiestatem et splendorem, admirantibus hominibus, in terram adduxit; pietati debet, quæ maximis eius coeptis adspiravit. Si Michaël, ut cùm poeta loquar, divinus magis quam terrenus Angelus habendus, novo artis conatu efficit, ut cum Horatio vere diceremus, pectoribus esse potestatem quidlibet audendi; pietati debet, cuius divino spiritu assidue afflatus eo magnitudinis processit, quum nemo eatenus excogitaverat. Si denique ille Ligurum audentissimus, Christophorus, cui robur et aes triplex circa pectus fuisse videtur, fragilem ratem truci pelago commisit, et multa per aequora processit, regionesque ab orbe cognito remotas Europæ patefecit, pietati debet magna que cupidini verum Deum in barbara loca inferendi, ut saepe ipse testatus est, Christique sepulcrum ab impiorum manibus in libertatem vindicandi. Quare quum pietatis sensus atque exercitatio egregium sit hominum ornamentum, maximeque apud omnes auctores reverendum; quum litteræ ipsae humaniores, quibus dediti sumus, homines poliendo atque ad humanitatem vocando mirum in modum hanc virtutem foveant; quum mortalium mentibus vim atque alas pene suppeditent, ut sanctissimæ religionis arcanas veritates diligent, et, quantum homini fas est, cognoscant, quod viri rebus gestis atque editis scriptis præclarissimi confirmant; quum denique litteræ ex hoc pietatis splendore maxima luce refulserint, illi invicem auxiliantes, ita ut neque ullum fere littoralium nostrarum monumentum absque pietate, neque pietas aliqua apud homines insignis sine litteris prodierit, quid dubitamus de earum bono et mutua utilitate?...

MAURUS RICCI, Sch. Piar.

(1) Iuvat hic referre verba a Philippo Brunelleschio habita in connione: «Ricordandomi che questo è Tempio sacrato a Dio e alla Vergine, mi confido che facendosi in memoria sua, non mancherà d'infondere il sapere dove non sia, e aggiungere le forze e la sapienza e l'ingegno a chi sarà autor di tal cosa».

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

### *Delphinum natans doces.*

In eos competit, qui monere quempiam conantur in ea re, in qua quum ipse sit exercitatissimus, nihil eget doctore. Nam delphinus in natando perniciissimi impetus est, ita, ut non modo superet omne natatilium genus velocitate, verum etiam terrestrium animantium, auctore Aeliano (lib. XII). Quin et naves transilire eum dicebant atque, contento spiritu, teli in morem eiaculari. — Item: *Aquilam volare doces;* quod enim delphinus inter pisces, id aquila inter volucres.

## EX BATAVIA

### *De certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXI.*

Accepimus, et libenter edimus:

Die XI mens. Martii MCMXII in conventu Ordinis Litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Neerlandicae relatum fuit de XXXII carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant, ut de praemio an. MCMXI certarent. Horum aureo praemio dignum iudicatum est carmen inscriptum *Thallusa*, cuius auctor apparuit IOANNES PASCOLI Bononiensis. Praeterea sumptibus Academiae in lucem edentur novem carmina præstantissima, si poetae *ante kalendas Iunias* veniam dederint schedulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Solatiolum, Venator, Lydia, Eunus, Villa Syronis, Flotinus, Strages infantium Bethleemitarum, Tupac Amaru, Ad Rhenum fluvium.*

AMSTELODAMI, die XII mens. Mart. MCMXII.

H. T. KARSTEN,  
Acad. Reg. h. t. ab actis.

Immoderate agere haud videmur Batavis hisce litteris addentes, ex carminibus peculiariter laude ornatis duo, *Plotinum* nempe et *Stragem infantium Bethleemitarum*, alterum, Francisco Sofia Alessio, alterum Francisco Xav. Reuss, sociis nostris clarissimis, deberi; quibus novo honore auctis ex animo gratulamur.

V. U.

*Alienis abstinet, quo tutius vestrásque opes teneatis.... In iusta lucra ne existimetis auctura esse divitias, sed periculum allatura.*

ISOCRATES, *Orat. ad Nicodem.*

*Hominibus prodesse natura iubet.... Ubicumque homo est, illi beneficio locus est.*

SENEC., *De vita beata, xxiv.*

# STRAGES INFANTUM BETHLEHEMITARUM

(Carmen in certamine poetico Amstelodamensi a. MCMXI magna laude ornatum)

*Immensus implet corpita Bethlehae  
domosque luctus; stridula personant  
lamenta Rachelis, tenelli  
cui gladio periere nati.*

« *I - sic tyrannus iusserat efferus -  
i, lictor, et quos Bethleha bimulos  
aut iuniores cumque lactat  
filios, age, trade leto.* »

« *Vagitibus, vos, ne moveamini  
infantulorum, neve ululatibus  
matrum; virorum si quis obstet,  
huic iugulum fodiatur ense.* »

« *Mecitate; nulli parcite parvulo,  
is ne supersit, qui sibi vindicat  
regale nomen, meque pulsos,  
Davidici di dema regni».*

*O stulta saevi regis iniquitas!  
sospes, tot inter funera, regius  
evadit Infans, quo potiri  
nec potuere dolii, nec arma.*

*Sicariorum ferbuit interim  
opus cruentum. Pars tenet aedium  
obsessa, nudatis machaeris,  
limina, ne fugiant necandi.*

*Irrumpit intro pars, et atrociter  
afferte - clamant - quotquot ab ubere  
pendent puelli, queis bibendum  
purpureum dabimus cruorem».*

*Quis eius atus possit et irritas  
preces et iras dicere coniugum?  
materna dum quem stringit ulna,  
vi rapitur, laniandus, infans;*

*Ornet, rogamus, casta pueria  
parvos alumnos! qui iuvenescere  
seramque discant ad senectam  
vivere Christiadae, morique.*

*dum, crine passo, strata cadavera  
matres reportant, queis sua gaudia  
extincta nunc: iucundus Isac,  
pulcher Amos, lepidusque Iacob.*

*Huic guttur; illi pectus et ilia  
transfixa ferro; tempora tertio  
allisa cunis, omne donec  
immaduit cerebro cubile.*

*Si forte carum tula receperit  
latebra pupum, vimque satellitum  
iam gaudet elusisse mater;  
vociferans puer ecce mammam,*

*mammam reclamat, seque reconditum  
hosti revelat: candida victima,  
lictoris arridere visa  
fulgidulo roseoque cultro.*

*Salvete, vulbos quotquot ab ubere  
immisit astris Bethleha martyres,  
imbellis aetas quos triumphi  
non vetuit decus eme eri!*

*Salvete nobis, Lilia roscida,  
quae, vere primo nata, nec aestibus  
afflata pravis, Rex supernus  
transtulit ae!hereos in hortos!*

*Cohors triumphans, protege filios  
ab hoste nostros; pelle tyrannidem,  
Herodianam duriorem,  
quae genus omne premit scholarum.*

*Novus tyrannus non puerilia  
in membra saevit; mentibus insitam  
(Baptismatis caeleste munus)  
nititur heu! abolere vitam.*

## Stili lapidarii elementa<sup>(1)</sup>

LITTERAE INSCRIPTIONUM SINGULARIUM  
ET VOCABULA DECURTATA.

### §. IV. — *Inscriptionum historicarum.*

- A. M. XX.* Anno miliario vigesimo.  
*A. P. V. C.* Anno post Urbem conditam.  
*Apell. E.* Appellatus est.  
*Coact. Abdic.* Coactus abdicare.  
*D. S. S.* De Senatus sententia.  
*D. S. P. F. C.* De sua pecunia faciundum curavit.  
*Ex S. C. Fin. Pomerii termin.* Ex senatus consulto fines Pomerii terminaverunt.  
*In E. L. F. E.* In Eius locum factus est.  
*In M. M. E.* In Magistratu mortuus est.  
*In Sing. H.* In singulos homines.  
*Leg.* Legavit.  
*In Mag. decis. est.* In Magistratu decisus est.  
*L. F.* Lustrum fecit.  
*M. P. XV.* Millia passuum quindecim.  
*N. Nummo,* vel nummos.  
*Ob. Hon.* Ob honorem.  
*P. S. F.* Pecunia sua fecit.  
*Prox. Cipp. Pep. CLXVI. S.* Proximo Cippo Pedes centum sexaginta sex semis.  
*R. G. C.* Rei gerundae causa.  
*R. R.* Ruderibus reiectis, vel recta regione.  
*Vit. Facti Abd.* Vitio facti abdicaverunt.

### §. V. — *Elogiorum.*

- Id. Febr.* Idus Februariae.  
*Mag. Eq.* Magister equitum.  
*Ord. Comens.* Ordo Comensis.  
*P. Praetor.*  
*Praetor.* Praetorum.  
*Q. Quaestor.*  
*S. F. Sacris faciundis.*  
*V. C. Vir Clarissimus.*

### §. VI. — *Constitutionum publicarum.*

- A. A. S. E. V.* Alter Ambove si eis videbitur.  
*B. F.* Bonum factum.  
*D. E. R. I. C.* De ea re ita censuerunt.  
*D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C.* De ea re quid fieri placeat, de ea re ita censuerunt.  
*E. H. L. N. R.* Eius hac lege nihil rogatur.  
*E. R. P. E. V.* E Re publica esse videbitur.  
*Ex. H. L.* Ex hac lege.  
*In V. R. P. Ve. V. R.* In Urbe Roma, propiusve Urbem Romanam.  
*I. V. E. E. R. F. S. V. C.* Ita ut eis e Republica, fideve sua videbitur censuere.  
*Quae S. S. S.* Quae supra scripta sunt.  
*Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.* Quod de ea re fieri placuerit, de ea re ita censuerunt.  
*V. F.* Verba fecit.

(1) Cfr. num. sup.

*V. D. P. R. L. P.* Ut, vel unde de plano recte legi possit.

*D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C.* De ea re quid fieri placeret de ea re ita censuerunt.

Haec sunt exempla siglorum, quae in veterum titulis frequentius occurunt; alia tamen sigla ad veterum normam recte quis induxerit quum nomina, appellacionesque usurpari opus fuerit, quae cuique vel levi indicio nota fiant, ut si quis scribat:

*Ant. F.* Antonii Filius.

*Hor. F.* Horatii Filius.

Similia his sunt:

*S. E. R.* Sanctae Ecclesiae Romanae.

*V. E.* Vir Eminentissimus.

*Episc.* Episcopus.

*Presb.* Presbyter.

Et alia huiusmodi, quae primis praescripta literis, nemo quid designent ignorat. In nummis etiam saepe occurunt inscriptionum notae a ceteris diversae, quas apud Morcellium, lib. III, part. I, cap. IX, reperies. Sunt etiam ibidem plures notae, quae vel assem et uncias designant, vel alia quae nos brevitatis gratia omittimus. Inter has celeberrima veteribus Christianis usitatissima nota, qua Christi nomen duabus graecis literis significabant, quae nominis eiusdem initium sunt X P, queis addita non raro alpha et omega, quibus Christum Deum aeternum fatebantur. Hae vero literae multipli, ac varia ratione coniungebantur.

Ex his Constantinum monogramma est, in quo linea recta iuncta literae P una fit cum altera. Vide sis, quid de Constantino hac super re enarret vetus auctor operis de moribus persequitorum; quod etiam inlustravit egregio commentario vir doctissimus Petrus Lazzari. Nec aliae desunt Christianorum veterum notae, quibus epitaphia nostra ornari possint. Symbola Graeci dixere, quae maiores nostri in annulis etiam suis incidi curabant. Signa vero, ait Clemens Alexandrinus in *Paedagogo*, (lib. III, c. 2) nobis sint columbae, aut pisces, aut navis quae in caelum feratur, aut lyra musica, qua Polycrates usus est, aut anchora nautica, quam Seleucus caelabat: et si piscator effictus fuerit, Apostoli memineris, et puerorum, qui ex aqua educuntur. Haec vero, quae Clemens in christianis annulis probabat, in tumulis etiam efficta videas. Anchoram saepissime reperies, cuius figurae usus ad spem significandam antiquior Seleuco est. Palma etiam in sepulcris frequens, quam non unis Martyribus appositam Fabrettus, et Odericus ostenderunt. Vestigia denique, et pedes sepulcris insculpta aliquando occurunt, quae Lapius quasi anathemata quaedam fuisse putat Deo sacrata pro ea bene absoluta peregrinatione, qua peregrinamur a Domino. Hasce ad libitum, Christianae professionis notas delineandas curare poteris vel sub ipsum epitaphium, vel ad latera. Excipe Christi monogramma, quod rectius initio incidetur.

FINIS.

# MOYSIS GESTA AB ALEXANDRO BOTTICELLI PICTA



In Xystino illo Vaticani sacello, in eo artis miraculo quod conventum pictorum maxime per orbem xv saeculo illustrum non immerito dixeris, Alexandri Philippi, vulgo *Botticelli*, murales tabulae non ultima obtinent; artificis, inquam, figurarum suavitate singularique subtilitate per insignis, cui immo Pontifex picturarum omnium argumenta atque distributionem commiserat. Is autem Moysis historiam sibi de legit, cuius facta nonnulla, in unum a Botticellio collecta, sub oculis lectorum nostrorum hodie ponimus.

Spectant haec ad Moysis vitae partem, quam in *Exodi* II et III legimus ad tabulaeque intelligentiam brevi repetimus.

Quum scilicet Moyses iam adolevisset, fratres suoi invirus venit, nactusque ea occasione Aegyptium inclementer Hebraeum quemdam habentem, rei indignitate commotus, sedulo prius, an ab aliquo observaretur, circumspiciens, in Aegyptium insiliens, occidit, atque cadaver in sabulo oculuit. Mane alterius diei, duos Hebraeos mutuo iurgantes audiens, alterum ex illis admonuit, ne fratrem percuteret. Quum ille respondisset, nihil se cum ipso rei habere, illiciue homicidii crimen exprobrasset, Moyses eam rem proditam intelligens, sibi plurimum metuit.

Et iure; quum Pharao, ea caede intellecta, virum ad supplicium quaereret. Secessit ergo Moyses in Madianitidem, regionem trans Mare rubrum, in Arabia Petraea, ad montem Sinai. Quum eo pervenisset, iuxta puteum sedebat, quo forte accidit ut filiae Iethro, Sacerdotis Madian, adaquandis gregibus accederent. Impletis iam ab illis aqua canalibus in usum gregis, pastores supervenerunt, ut mulieres abi gerent; sed Moyses, earum patrocinio suscepito, iniuriam propulsavit, simulque gregibus adaquandis operam suam contulit. — Acceptum ab extraneo viro beneficium puellae, domum reduces, patri renunciarunt, a quo statim Moyses accitus, eo contubernio gratuito aliquandiu usus est; deinde firmam stabilemque moram iureirando pollicitus, Sephoram, Iethro filiam, coniugem duxit, a qua duos habuit filios, Gersam et Eliezer. Quum autem Moyses pascendis Iethro ovibus occuparetur, in deserti interiora penetrans, ad Horeb usque olim pervenit: ubi rubum ardentem, intactis tamen vepribus, conspicatus, primo obstupescens haerere, deinde proprius accedere, oculis causam rei exploraturus. Sed audita continuo Domini vox de medio rubi, ne accederet; quin et praeципientis, denudatis pedibus locum sanctum maiore reverentia contingenteret. Adiecit vox, se esse Deum patris Moysis,

Abrahami, Isaaci et Iacobi, qui, auditis Hebraeorum sub Aegyptiis fatiscentium clamoribus, illis relevandis in libertatemque afferendis transferendisque in terram lacte et melle manantem, in regionem nempe Chananaeorum, descendebat: totum autem opus educendi e captivitate populi, atque de libertate cum Pharaone agendi, ipsi Moysi se committere. — Moyses, qui maxima quam deceret reverentia ac humilitate Dominum loquentem ansuctaverat, ut sibi cum Pharaone agendum audivit, munus detrectabat; sed Dominus opem illi suam pollicitus est, virgamine dedit, ingentium prodigiorum instrumentum futuram. — Ita factum est ut Moyses in Aegyptum iter cum uxore et filiis suscepit.

Haec a Botticellio revocata; quo autem ingenioso artificio, ipse videoas, candide lector; quem profecto non effugiet in Moysis imagine Christi effigiem, nec equidem fortuito, fuisse semper a pictore adumbratam.

## LUDI PUEGORUM APUD ITALOS

**De folli, gummi brasiliiano confecto, vulgo foot-ball.**

Hie mos ludendi ad nos ex Anglia venit. Et primum quidem in privatis tantummodo gymnasticorum certaminibus factitatum fuisse videtur: atque haud ita multo post omnibus fuit adprobatum. Namque vix apud Italos lex lata est, qua pueri qui scholas prioris ordinis frequentant, ad ea quoque corporis exercitia tenerentur, quae ad valetudinem optime tuendam spectant, quum hoc ludorum genus omnes fere iuvenes pervasit. Tunc brevi tempore, veluti ex umbratili disciplina, e scholarum septis egressus, hic ludus omnes Italicae sobolis animos tenet atque exagitat. Placet enim ob vivacem omnium membrorum virtutem, ob varios quoque exercitorum habitus et repentinus iocantium tumultus.

Nos, qui ad medianam fere aetatem pervenimus, quid de hoc nuperrimo ludo apud nos invecto dicemus?

Venio ad rem.

Quid sibi vult maxima illa iuvenum confusio? Quid illa perpetua clamitantum perturbatio ac propemodum amentia, quae parvo post tempore « corpora turbineo invenilia vortice mersit? » Accipe breviter abdita huiusce ludi consilia.

In primis scito totam praesentem luctantium virtutem in ipsa pedum fortitudine inniti. — Cur miraris? Cur hisce auditis te subridentem video? Audi quid sit in posterum.

Acies est omnium latissima, ut in ludis gymnicis esse solet. Hinc inde luctantes viribus pedibusque valentes stant ludere parati. Plerumque et veste liberiore utuntur annulisque contexta: pileolo caput ex more nautarum tegunt, lana fuso medicata passim confecto. Et ut nautae omnes laeti audacesque adparent, et ipsi pueri ex toto corde laetitiam victoriae sentire videntur. Tunc magnum in acie silentium, et ludorum initium cupidius omnes exspectant.

Qui ludi princeps iure constituitur, in medium progressus suis adversariisque circumdatus dat pugnae signum.

In manibus ei est follis haud ita exiguis, gummi illa compositus, quam nuperrime nobis Brasilia tellus largitur. Mirum sane quibus iam usibus ipsa, labentibus annis, serviet! Nunc mollis currit, nunc rigida stat, nunc quoque ferro auroque durior ad hominum nutum summopere se fingit atque accommodat. Quot operarii hac sapienter utuntur! Quid in posterum? Optime dicendum: « Sunt alii quos ipse via sibi repperit usus! »

Et quamvis ingens sit et vix ambabus manibus contineatur, levis tamen et volucer per liquidum vehit, quum primum pedibus percuditur.

Hic ipse follis ea est natura, ut sic percussus facile in aërem sese tollat, et mox, quum humi ceciderit, velocior magisque agilis in altum resultet. Tunc qui sunt ad follem repellendum proximi exsultant atque clamant, eo maxime studio ut alii aliis superiores evadant.

Duae enim sunt acies; quarum altera ad laevam partem contendit, ad dexteram altera. Heic est utraque meta, quae vulgo dicitur « porta », brevis omnino atque signaculis interclusa. Ad harum custodiam strenuissimus quisque vigilat. Per hanc enim portam certandum est enixe, ut aliquando adversariorum potentia atque astutia transeat follis, qui pedibus percussus huc illuc mittitur. Nihil nunc auditur per aërem quam vehemens follis percussio; nihil quam luctantium pedumque motus.

Quot circum ludentium voces! Quot crepitantis follis acriter percussi rumores! Qui nunc per aërem volitat, nunc per humum humillime serpit, nunc terram radit, nunc demum liberrime veluti inter corpora vadit. Et rumor immensus per aures circumfunditur, ut saepe « piniferum caput et vento pulsatur et imbri ».

Quisnam victoram referet? Pars illa, quae arte quinquies vel sexies ex composito extra portam rectissime follem impellere potuit; haec triumphi honorem aget.

Nec tamen ita facilem obtinet. Namque quum lis diu anceps fuerit atque ambigua, apud portam vis omnium fortior colligitur; illie sunt qui pellunt, sunt qui audaces repulsant.

Sed quum tandem ad ultimum ventum est, tunc omnes conatus illuc vertuntur, ne quis adversariorum follem possit ultra portam ad victoram impellere. — Et vel in ludis hoc opus, hic labor est!

Si Virgilius cecinit:

..... *Troianis cum multo gloria venit Sanguine.....*

et ego, hoc novissimum verbum, parce detortum, nostris luctantibus cum *multo sudore* optime aptandum esse putabo.

Maxima enim gloria adscribitur adversarios superasse.

SUBALPINUS.

## COLLOQUIA LATINA

## Obsequia scholastica invicem praestita (1).

BAPTISTA. — Quid actum est in schola postquam abi-  
ram domum?

ANDREAS. — Interpretatus est magister epistolas Ci-  
ceronis; deinceps dictavit argumentum scriptionis ho-  
die vertendum.

B. — Quando autem reddendum?

A. — Perendie mane.

B. — Iamine vertisti?

A. — Nondum etiam omnino, sed bonam partem.

B. — Dieta mihi, quaeso, vernaculum.

A. — Quaere tibi alium qui dicit; nunc ego tibi  
non possum operam dare.

B. — Cur non?

A. — Est mihi aliud negotium, idque necessarium.

B. — Nolo te urgere, sed coimoda saltem mihi  
tua adversaria.

A. — Accipe, utere, ut libet; modo ne abutare.

B. — Ne verearis.

A. — Serione scribis, an tu nugas agis, Vincenti?

VINCENTIUS. — Evidem scribo serio; sed quorsum  
id rogas?

A. — Fuit quum elegantius scribebas. En literas!  
Aequo scite gallus gallinaceus scalperet unguibus.

V. — Deest mihi calamus accommodus: da mihi, ob-  
secro, stylum novum.

A. — Non sic dantur mihi.

V. — Nolo mihi dono des, sed commodato.

A. — Sunt mihi duo tantum.

V. — Unum mihi commoda per amicitiam nostram.

A. — Amicorum omnia sunt communia. — En tibi  
stylum novum, imo et cum longo et firmo caule.

V. — Reddam tibi statim quum scripturam de-  
scripsero.

A. — Nolo mihi reddas.

V. — Quid igitur faciam?

A. — Quidquid voles; a me enim tibi dono datur.

V. — Gratiam habeo maximam.

MARCELLUS. — Quaeso, Paule, ut appares mihi ha-  
matitem hanc.

PAULUS. — Scalprum non habeo.

M. — Petam mutuum a Livino.

P. — Vade.

M. — Livine, da mihi mutuum tantisper scalpellum  
tuum.

LIVINUS. — Scilicet ut magister eripiat, si te uten-  
tem deprehenderit.

M. — Utar clanculum sub pallio.

L. — Habe tibi; tamen tuo periculo.

M. — Omne in me periculum transfero.

L. — Hac lege a me auferes ut si praeceptor te  
spoliet, persolvas pretium.

M. — Omnino hac lege. En scalpellum.

P. — Heu quam obtusum!

M. — Age, expedi, priusquam magister veniat.

P. — Utrum amas scribere cuspide rotundiuscula  
an acuta?

M. — Attempera ad nutum tuum.

P. — Ego acutiore uti soleo.

M. — Habeo alteram aculeata cuspide; para nunc  
muerone crassiore.

P. — Incommodum alienam semper operam emen-  
dicare; addisce ipse artem parandi.

M. — Tentavi frequenter: oleum et operam perdidii.

CLAUDIUS. — Quis commodabit mihi dimidiatum  
chartae folium? Obsecro te, Dominice.

DOMINICUS. — Habeo folium unicum; sed ego ipse  
egeo.

C. — Tibi alterum dimidium serva; dimidium al-  
terum sufficiet mihi.

D. — Revelle ex codice tuo compacto chartam va-  
cuam.

C. — Non fecero; inde sensim compactio dissolu-  
tur et liber membratim discripitur.

D. — Sufficitne tibi hoc frustulum?

C. — Hei! non capiet sex versus; ex meis pae-  
sertim.

D. — Scribe in utraque folii facie, et due versus  
densiores: quid necesse habes tam magna interstitia  
relinquere?

C. — Egone id facio? Vix intervallum est ullum;  
nam literae sese utrinque attingunt. Eh vero! quid  
tu non instruis? Nolim scribebas ad exemplar tuum.  
En, ut pravos ducis versus!

D. — Scribe seorsum, et tace.

FORTUNATUS. — Estne tibi bonum atramentum, Hen-  
rice?

HENRICUS. — Cur id rogas?

F. — Ut mihi des aliquantulum de superfluo.

H. — Nunquam non tibi aliquid desit! Dic, quid est  
scholasticus sine calamo et atramento?

F. — Quod miles sine clypeo et gladio, fateor;  
sed in posterum instructus veniam. Nunc dato mihi  
pauxillum in praesentem usum.

H. — Sed atramentum meum ad instar limi eras-  
sum est; haeret in summa theca, nec defluit.

F. — Diluas aceto.

H. — Nunc est mihi acetum ad manum?

F. — Cedo, ibo ad antlam; instillabo guttas ali-  
quot aquae.

H. — Periculum est ne charta perfluat.

F. — Quid refert? Non scribimus aeternitati.

H. — Vah! Nimirum infudisti. Vide, quaeso, quam  
dilutum: est aquae instar.

F. — Quale, quale, erit mihi usui; infunde.

H. — Porridge atramentarii cornu apertum.

F. — Infunde plusculum.

H. — Deprime istud gossypium calamo; alioquin  
redundabit atque effluet.

F. — Satis! Quaenam est haec profusio! Plus de-  
disti mihi, quam tibi retinueris. Ago tibi gratias; re-  
feram quum et tu egebis.

H. — Utere commodo tuo.

GUSTAVUS. — Nemo ne arenam habet ad manum?

RICHARDUS. — Habeo, sed perparum.

G. — Oro te, scripturam meam consperge modico

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE passim retractavit I. F.

pulvere; invertenda est pagina; confundentur literae lituris.

R. — Insere chartam bibulam.

G. — Aequo in promptu non est mihi.

R. — Pulverem abradas de pariete.

G. — Nefas est scalpendo deturpare scholae paries. Quid cunctaris? Inspurge pauxillum... Attentus es nimium ad rem nihili; arena quid vilius?

R. — Nihil profecto; verum ad litus maris, ubi eius est copia. Tamen explica librum, et excipe.

G. — Referam vices quum tibi opus fuerit. — Quid video? Iamne nunc descripsisti integrum scriptionis argumentum?

R. — Descripsi.

G. — Utinam mihi essent articuli tam celeres! Equidem perquam tarde scribo.

R. — Quid potes dictantis vocem scribendo assequi?

G. — Aegre admodum. Egomet mihi; nam prima mihi cura est ut bene scribam; proxima ut celeriter. *Sat cito si sat bene.*

R. — Belle! Sed istam cantilenam cane magistro quum dictat: *Sat cito si sat bene!*

### EX ITALIS URBIBUS

#### **De statua in honorem et memoriam Ioannis Bosco sacerdotis Augustae Taurinorum locanda.**

Rem novam adhuc lectoribus nostris narramus. Abhinc aliquot dies, iuvenes nonnulli electissimi, ingenio praestantes atque virtutibus, alumni olim Ioannis Bosco eximiis dotibus praeclari, ut gratum animum erga egregium hominem testarentur, statuam aere conflatam, in hac Taurinensium civitate, quae praeclarissimorum Viri operum initium fuit et caput, ponere statuerunt.

Iam nomini excellentissimi sacerdotis est via ex Municipii auctoritate, dicata; iam Castrinovi in Astensisibus, ubi immortalis suum vir ortum habuit, statua paucis ante annis posita est; sed Taurini, ubi primum adlaboravit, plurimasque aedes pueris alendis erudientisque aperuit, insigne aliquod monumentum desideratur.

Scio equidem neminem esse vel apud Italos vel apud exteris gentes, qui ignoret quis fuerit Ioannis Bosco, quot egregia ediderit opera, quibus sanctissimis ingenii artibus mentisque enituerit. Hic enim missus a Deo, omnia sibi agenda esse putavit, quae in iuuentutis commodum potissimum succederent, vel qui studiis operam navarent, vel artibus ad temporum rationes exactis incumberent, quibus sibi victum honeste quaeritare consueverunt.

Nunc vero, adventante saeculari anno, quo egregius vir in lucem editus est (1); ipsi ei volunt statuam mirifico artificio confectam dicare in situ haud longe posito ab aedibus, quas ipse in urbe Subalpinorum capite primum condidit, et ubi suis temporibus prata adhuc erant sataque, et primitus ad iuuentutem tuendam pro Christo meruit stipendia.

Sunt enim huiusce consilii socii et magistri et artifices; sunt litterati homines; sunt et mercatores; sunt et excellentissimi viri scholis nuper egressi, sunt et Magni Taurinensis Athenaei doctores, sunt denique Oratores populares et nobilissimi Senatores, qui animum Hominis ingeniumque sanctissimum admirantur. Hi omnes sibi huiusmodi munus ad honorem maxime reputantes, inter primos huius operis socios adnumerari optaverunt.

Quae quum ita sint, haud ab re sua esse putavi, rem laudabilem *Vocis Urbis* lectoribus proponere, iisque plurimum commendare.

Nomen atque oblationes excipiuntur Augustae Taurinorum apud electissimos viros qui dicuntur: *Comitato per il Monumento al Ven. D. Giovanni Bosco. Via Cottolengo, 32 e Via Regina Margherita, n. 176. - Torino.*

I. B. F.

### EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

#### **SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE**

#### **Ex Congregatione de Religiosis.**

*Dubia circa Tertios Ordines Saeculares.*

I. — Utrum *Congregationes Tertiis Ordinis S. Francisci Ass. ab una Obedientia Primi Ordinis vel a Tertio Regulare Ordine erectae, possint, inconsultis vel invitis Superioribus qui ipsas exerentur, ad aliam obedientiam valide transire?* — *Resp.* Negative.

II. — Utrum *eadem Congregationes ab una Obedientia ut supra erectae et a Fratribus alterius Obedientiae in eadem Provincia vel Civitate commorantibus directae, adhuc sint sub dependentia primae Obedientiae — erigentis — ita ut haec possit *eadem Congregationes* visitare et ea omnia perficere quae de iure requiruntur in legitima iurisdictione?* — *Resp.* Si directio Congregationis Tertiariae ab una familia Franciscali prius erectae legitimate commissa fuerit Fratribus alterius Familiae, negative; secus, affirmative.

(Ex decr. d. vi mens. Decembr. MCMXI).

#### **Ex Congregatione Rituum.**

*Decretum de interpretatione rubricarum ad normam Bullae « Divino afflatu ».*

Eulgato novo Psalterio, novisque Tabellis Occurrentiae et Concurrentiae Festorum, non una in praxi fuit interpretatio Rubricarum, quas ad normam Bullae *Divino afflatu* Commissio Pontificia ad id instituta confecit, ut videre est in diversis Calendariis pro currenti anno 1912 noviter redactis. Ad dubia ergo in posterum praecavenda, Sacra Rituum Congregatio ad petitionem eiusdem Commissionis Pontificiae, referente infrascripto Secretario, statuit et decrevit:

I. Rubrica de Suffragio Sanctorum, quae in Ordinario Divini Officii ad Laudes et Vespertas habetur, interpretari debet iuxta Tit. VII, n. 4 novarum Rubricarum, et ad ambiguitatem tollendam, praefata Rubrica in posterum sic edatur: « Deinde, extra tempus Paschale.... et exclusis diebus, in quibus occurret quocumque Officium Duplex aut infra Octavam, aut Dominica in qua commemoretur Duplex simplificatum, fit sequens Suffragium ».

(1) Natus est anno MDCCXV.

II. Duplicia I. et II. classis sua die impedita, iuxta Tit. III novarum Rubricarum n. 3, transferri debent in proximiorem diem liberam ab alio duplii I. vel. II. classis et ab Officiis huiusmodi festa excludentibus; transferri tamen non possunt in Dominicam etiam minorem, iuxta n. 2 eiusdem Tituli.

III. Duplicia I. et II. classis certis sua die impedita Dominicis vel Feriis affixa, si perpetuo impediantur, iuxta novas Rubricas Tit. IV, n. 2, reponenda sunt in feriam proxime insequentem per singulos annos liberam ab alio Duplii I. vel II. classis aut ab aliqua die Octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus, non vero, ut censem nonnulli Liturgistae, in primam diem ut supra liberam, post ambitum dierum infra quos incidere possunt.

IV. Licet iuxta novam Concurrentiae Tabellam, in concursu Duplicis maioris cum alio Duplii maiori, totum fieri debet de Nobiliore cum commemoratione de alio, ideoque Festum Domini duplex maius Secundarium cedre debeat Festis eiusdem ritus B. Mariae Virginis aut Sanctorum Primariis; nihilominus, quando Festum Domini Duplex maius secundarium in Dominicis die occurrentes concurrit cum festo Duplii maiori primario B. Mariae vel Angelorum vel Sanctorum, Vesperae erunt de praefato Festo Domini, quia in easu Officium Festi Domini subrogatur Officio Dominicæ. — Die 24 Februarii 1912 — Fr. S. CARD. MARTINELLI, S. R. C. Praefectus. — Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.

#### Dubia varia.

I. Decurrente anno 1912, Dominicis diebus in quibus, iuxta Praescriptiones temporariae, Missa lecta celebrari potest vel de festo duplii maiori vel minori occurrente, vel de Dominicis, utendum est, in Missa de Dominicis, colore a Kalendario pro Festo occurrente indicato? — *Resp.* Negative; et Missa Dominicalis sicut et Missa ferialis colorem sibi proprium iugiter servet.

II. Anno proximo 1913 Dominicis in Septuagesima occurrit die 19 Ianuarii; anticipari propterea debet Dominicæ II post Epiphaniam. Quum autem in kalendario universalis singuli dies hebdomadae impeditantur Festis ritus duplicis, praeterquam dies 16 in qua occurrit Festum ritus semiduplicis, et in permultis kalendariis particularibus nulla dies libera sit a festo ritus duplicis; quaeritur an Dominicæ praedicta in kalendario universalis anticipanda sit per integrum officium, ut antea, die 16 Ianuarii, et in kalendariis particularibus per simplicem commemorationem die 18 Ianuarii? — *Resp.* Officium Dominicæ II post Epiphaniam impeditæ amodo anticipetur in Sabbatho aut in alia praecedenti Feria, in qua occurrit Festum ritus semiduplicis. Quod si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, anticipetur in Sabbatho, aut in alia praecedenti Feria, occurrente etiam Festo ritus duplicis minoris.

III. Quum ex Praescriptionibus temporariae facta sit locorum Ordinariis et Superioribus Regularium facultas expungendi a proprio kalendario Festa B. M. V. aut Sanctorum ritus duplicis maioris aut minoris Dominicis diebus assignata; quaeritur an ipsi eadem gaudent facultate quoad festa fixa particularia a S. Sede indulta, quin necesse sit ad S. R. C. recurrere? — *Resp.* Negative et in singulis casibus ad S. Rituum Congregationem negotium deferatur.

(Ex deer. d. II mens. Martii MCMXII).

*Ex Congregatione Indicis*, die xxvii mens. Februarii MCMXII notum factum est, r. Venantium Gonzalez, decreto S. ipsius Congregationis diei xx Ianuarii proxime elapsi laudabiliter se subiecisse.

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMXII).

#### Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Iosepha princeps foemina Wallenstein; Columna De Paliano princeps Urbanus; Bentivoglio de Aragonia marchio; Ludovicus Pastor, rector historici Austrorum Instituti de Urbe; Doctores et alumni Urbani collegii Angelici; Wolkonski, princeps foemina; De Rabien marchio; Cramer dynasta; Vaughan chiliarchus; Hatzfeldt-Trachenberg, Comes, Germanorum Caesaris cubicularius; Maria Aloisia Isenburg-Birstein, ex Imperiali Teutonum genere princeps foemina; Heblelling docttor, catholici Lovaniensis athenaei Rector; De Rokowsky dynasta, ex intimo consilio Austrorum Imperatoris; Coetus Catholicarum Mulierum de Urbe; De Leingen, Comes; Sacer Purpuratorum Senatus, Legati exterrarum nationum apud Apostolicam Sedem, Pontificii aulici omnes omnia SSmo. offerentes ob diem eius nominalem; Guilelmus Butt, militum praefectus et consularis legatus Praesidis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis; Galeazzus Thun de Hohenstein, princeps, Militaris Melitensis Ordinis Magister Maximus eiusque Consilium; Fabius Fani, Comes, Hierosolymitani Militaris Ordinis Praefectus eiusque Consilium; Mediolanensium peregrinorum manus; Ferdinandus et Alafridus de Liechtenstein principes; Comes de Silva Ramos.

#### Pontificiae electiones.

— R. p. d. Salvator Talamo inter Consultores S. C. Stidorum; r. p. d. Camillus Laurenti et r. p. Gulielmus Arendt e S. I. inter Consultores C. Sancti Officii; r. p. d. Nicolaus Marini inter Consultores Pontificiae Commissionis ad Ius Canonicum in Codicem redigendum; rr. pp. Benedictus Ojetti e S. I. et Iulius Saubat e Presbyteris S. Cordis Iesu de Betharram, inter Consultores Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis adleguntur.

— Illmus. et Rmus Dnus. Carmelus Pujia, archiepiscopus S. Severinae, in coetum Episcoporum Pontificio solio adstantium adsciscitur.

— Exemus. vir Franciscus Serlupi, Equiso Maior Summi Pontificis creatur.

## ANNALES

#### Italici regis vita nefarie petita.

Postremi fortasse præ tempore, haud vero de missiore voce, choro Italorum omnium, imo cultarum ubique gentium, nos adiungimus ad grates Deo agendas, quod vitam Emanuelis III regis Helenaemque regiae uxoris a scelestis manu impii cuiusdam, hominis ipso nomine indigni, incolumem servaverit. Quod si huiusmodi facinora abominanda ac detestabilia semper sunt, eo magis apud Italos nos hisce diebus vituperanda, quum populus, avitam gloriam repetens, una mente, uno animi sensu acerrimum gerit bellum ad humanitatem illuc re-

ducendam, ubi iam victrices aquilas, fortium virorum insignia, posuerat, ac deinde Christi religio nem, tot Martyrum sanguine germinatam, tot Doctorum scientia confirmatam et auctam, cultus omnis monumentum importaverat. Fama, perobscura licet, manavit, dextram vesani iuvenis a Iuvenum Turcarum illa patriae ipsi suea pernicio sissima factio, armatam turpitudinis pretio fuisse ad Italici regis necem. Animus quidem id vel cogitare horret, ipsoque dubio refugit; sciat tamen barbarus quivis sicarium perduxerit, se nihil aliud quam maximam execrationem in se, adiunctionem animorum maximam erga virum, quem nefandum huiusmodi crimen petierit, fidem denique maximam populi in fatis suis excitasse.

\*\*

**Bellum inter Italos atque Turcas.**

Revera magis nunquam quam hisce proximis diebus fortunam suam cum regalis familiae fortuna Italica gens visa est sentire coniunctam; itaque in dies factum aliquod exspectare, quod felici aliqua ratione finem Lybico bello impone ret. Verum si et Turcarum impetus exceperis die IIII mens. Martii Dernae ad urbem per totam diem repulso; et a Mergheb colle hostes, noctu diei VI eum recuperare conantes, distentos a nostris feliciter; et oasin duarum palmarum (ita vulgo nuncupant) die XIII cum Arabum magna caede occupatam; denique Turcarum oppida Sceik Saidi ac Dubab fulmineis tormentis oppugnata, mensis inter procursationes transivit.

Et voces a ceteris Europae nationibus procurandae pacis, ipsae quoque transire videntur.....

**PUBLICI PER ORBEM COETUS  
legibus ferendis**

**In Anglia** ex cuniculariorum desertione occasione arrepta, lex lata, qua operariorum stipendia minima statuuntur.

**In Austria** de gubernii consiliis ad rem militarem tuendam fuse disceptatum.

**In Gallia** de comitorum disciplina popularium que legatorum numero reformando quaestio late agitata.

**In Germania** rationes acceptorum et expensarum tum pro internis rebus tum pro exteris negotiis ad examen revocatae.

**In Hungaria**, quum Imperator assentiri noluis set pactioni a gubernio cum adversariis ineundae ad iura nonnulla recusanda circa subsidiarias Hungariae cohortes, vel in pace conscribendas, administratorum collegium, praeside Khuen, a munere abdicavit.

**In Italia** rationes acceptorum et expensarum, inter quas eae quae necessariae viderentur ad bellum in Turcas gerendum, approbatae.

**In Russia** iudiciorum reformatio agitur.

**PER ORBEM**

Die I mens. Martii MCMXII Pekini in urbe seditionis manus ex improviso, incendiis passim excitatis, in civium domos vastationem infert, quae vix armata manu cohiberi potest. Damna inde ingentissima fiunt.

— d. II in Anglia carbonis fodinarum opifices omnes ex condicto, maiores mercedem repetentes, a labore recedunt.

— d. IV, Tarenti, in navi, cui a Victorio Emanuele nomen, repentina fere morbo absimitur Augustus Aubry, Italicae in Mediterraneo classis praefectus, Neapoli natus an. MDCCXLIX, vir navalis disciplinae peritissimus, quam in bello quod in Turcas geritur maxime ostendit.

— d. X Petrus Christophersen, Norvegiae consul in Bonearensi civitate, nunciat Rodoaldum Amundsen certiore ipsum per telegraphi tramitem fecisse, se antarcticum polum revera attigisse.

— d. XI Étamps in urbe Bernard puella, vix undeviginti annos nata, experimenta agens ad aviatricis diploma obtainendum, cum velivolo suo in terram praecipitat ac tristi fatō succumbit.

— d. XIII Madriti supremum obit diem Eduardus Saavedra, regalis illius academiae decus.

— d. XIV Romae scelestus quidam homo ex anarchistarum factio, Italiae regis ac reginae vitam manuballistula nefarie petit. Divino quidem auxilio regales coniuges sospites evadunt, dum praetoriae cohortis tribunus, Ioannes Lang, prope ipsorum vehiculum equitans, haud levi vulnere in capite afficitur.

— d. XV Tzgebinae, ad ferriviae stationem inter Cracoviam ac Vindobonam, curruum series vapore actorum in aliam opifices mille Polonus et Ruthenos vehentem incidit, quorum septem misere infringuntur; centum et triginta vulnerantur.

— d. XVII in Britannico fretu Anglici viatoria navis *Oceania* ad Indias profecta in velificam quamdam Germanorum navem per noctem fortuito occurrit et cum classiariis pluribus nonnullisque viatoribus mergitur.

— d. XVIII Montefalco in Umbrorum oppido, octoginta et tres annos natus, cursum vitae placide absoluit Dominicus Mustafà, musicæ artis, praesertim liturgicae, magister clarissimus, quondam Xystinae cantorum scholæ summus moderator.

— d. XXI Sambois, in oppido Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis, dum cunicularii in fodiinis operi intendunt, improvisum fit incendium, in quo miseri opifices fere omnes horrendam inveniunt mortem.

— d. XII immane incendium aliud Tokio ex Iaponia urbe nunciatur, unde domus ad septingentiarum numerum absumuntur.

— d. XXIII Gulielmus, Germanorum Caesar, Berolino proficiscitur Vindobonam Franciscum Iosephum, Austrorum Imperatorum, visitaturus, ac deinde Venetias, ubi die XXV cum Italorum rege colloquium habet.

— d. XXIV Neapoli, Vito Fornario, Italicarum litterarum et Christianae philosophiae lumini, publicum monumentum dicatur.

— d. XXV Pisis, brevi hora fato concedit Antonius Pacinotti, physicus ille perillustris, qui ex inventa a se electrica virtute, annuli electro-magnetici nomine nunc vulgo cognita, auctor exstitit potentissimarum machinarum, quas cursus electridis continuus agit.

— d. XXVI Neo-Eboraco ex urbe notum fit in fodiinis ad Bluseld, ob praerupta necopinato loca, cunicularios nonaginta calamitose sepultos esse.

— d. XXVII Constantinopoli, supremi administris ad externa tractanda negotia aedes igni delentur.

— d. XXXI Patavii gravis anni obit Aemilius Tezza linguarum scientia, Indicarum praezerosum, cultor insignis, quas ipsum Iosue Carducci, poetarum nostrae aetatis in Italia facile principem, docuit.

## LIBRORUM RECENSIO

PAULUS RECANATESI. — *Carmina Sacra*. — (Recineti, ex typ. Raynaldi Simboli).

Auctor, qui sodalis est Philippini Oratorii, colligit in nitidum fasciculum ultra viginti carmina latina, varias per occasiones, de argumentis plerumque sacris composta. Versibus utitur hexametris et distichis, qui ex eius calamo facili fluunt vena, atque artificem produnt latini sermonis scientissimum et in tornandis eleganter versibus apprime versatum.

Vera me dixisse, cognoscet ipse lector ex hisce, quos subiicio, Recanatesii versiculis de mense Maio, B. Virginis Mariae dicato :

*Garrula de pratis caelo se tollit alauda,  
et silvae et colles arvaque ubique virent.  
Quam bene natorum pietas tibi, Virgo, dicavit  
hunc mensem, quo non carior alter adest!  
Has igitur violas, nostri munuscula amoris,  
aurorae lacrimis excipe lucidulas.  
Nil melius meus hortus habet; sed pandet odorem  
mox tibi puniceo tincta colore rosa.  
Haec te iure decet: cunctis ut floribus ista,  
sic tu Caelitibus pulchrior una nites,*

ANGELUS NARDI. — *Inscriptiones*. — (Aquilae in Vestrinis).

Breves, sed elegantes, auctor edidit paginas, seriem nempe concinnarum inscriptionum, ubi de venerando agitur viro Ioanne Garigliani, qui apud archiepiscopum Aquilanum munere fungitur auxiliaris Antistitis. In huius quoque stemma Nardius aliquot compositus distichos, gratia simul sensuque conspicuos.

Nam quum in eo stemmate et flumen et stellae et lilia depicta sint, haec ita venuste poeta interpretatur :

*Ecce Dei flumen, currens de montibus altis,  
tranquillum irriguas ad mare volvit aquas.  
Auspicum felix! Nitido tria sidera caelo  
fulgent: alma Fides, Spes bona, divus Amor.  
Candida virtutum florent tria lilia signa;  
qui sit, quae Ille velit, cernite: stemma docet.*

F. X. R.

## AENIGMATA

### I.

Cum furiunt imbræ prior horret et anxius haeret.  
Seinditur at nubes, refracta en lumina solis;  
Nunc alter rutilat; nunc en ridere pr orem.  
Totus rex vixit; moriens est bestia factus:  
Nomine mutato, divinos sumpsit honores.

### II.

Partibus ex iunctis, ambas quas musica præbet,  
Piscis flumineas, o lector, qui incolit undas,  
Et nullo spinae qui laedit acumine, constat.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IOANNIS FRANCESIA dramaticam actionem, cui titulus :**

EUPLIUS

Aenigmata an. XV, n. I proposita his respondent :

1) **Canis;** 2) **Orion, Arion**

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia*. — Georg. à Beöthy, *Magnoradino*. — Ios. Wabner, *Varsavia*. — Steph. Lowinski, *Zerkow*. — Aug. Scriban, *Iassii*. — I. M. Meunier, *Corbiniano*. — P. C. Peltenburg, *Sovtervonde*. — Ioan. Galbiati, *Mediolano*. — Lucius Rhaetus, *Bucarstino*. — Petr. Fura, *Vico*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Ioan. Sismondo, *Casali Montisferrati*. — Lud. Kobierzycki, *Leopoli*. — Paulus Dan, *Constantia-Tomis*. — Ant. Dalla Venezia, *Venetia*. — Iac. Fortina, *Arona*. — Ad. Kozłowski, *Petricovia*. — F. Ortiz, *Morelia*. — Ant. Masia, *Terragona*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino*. — Fr. Salvatore, *Syracusis*. — I. Martins, *Philadelphia*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — F. Ricci, *Florentia*. — Nic. Bianchi, *Augusta Taurinorum*. — Georg. Archambeault, *Quebeco*. — Petrus Tergestinus - Mart. Dunne, *Neo-Eboraco*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Raim. Silvan, *Londino* — Nic. Endrigi, *Salisburgo*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — R. Richi, *Traianopolis*. — F. X. M., *Drepano*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum*. — Vine. Starace, *Neapoli*. — Arm. Duval, *Massilia*. — Diom. Falva, *Constantia*. — Christ. Del Fierro, *Mexico*.

Sortitus est praemium:

RAIMUNDUS SILVAN,

ad quem missum est opus, cui titulus :

VINCENTII LANFRANCHI

DE ORATORIBUS ROMANIS

ACROASIS

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMÆ — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

# ANTHEA

**(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).**

— In nostro quidem populo deorum cultus religionumque sanctitates existunt in dies maiores; neque enim iis repudiantur, quorum ex Aegypto atque Asia ingens fluit quotidie multitudo. Verum infinita illa ratio superstitionis nemini probatur, nisi forte olitoribus urbem potentibus, quos novi solos infelicitatis expertes. Iam vide, utrum vivere an mori sit optabilius.

— Eccui exploratum est, exutis corporibus, quae fata nos maneat?

— Plane mihi videris non aliter sentire ab iis philosophis, qui de omnibus dubitantes quasi noctem quandam rebus offundunt.

— Ita quidem. Verum illi in tenebris tranquille versantur; ego ipsorum causa discurior.

— Unde salus obventura sit num prospicis?

Paulum reticuit senex; deinde aliquantulum excitatus:

— Salutem — inquit — exspecto.

— Unde?

— Nescio, — ille respondit, facie in manus reclinata. Mox veluti victus altitudine nocturni silentii, suppressa voce: — Saepe — inquit — mecum ipse cogito si mundus haud maiora contineret, quam quae scimus; aut si hominibus non liceret fieri praestantioribus quam qui sunt, hanc in nos aegritudinem cadere non posse. Quare in ipsa causa morbi spem esse sana-tionis existimo. Olympo quidem ac philosophiae hactenus adiuncta fides omnis evanuit; salus tamen ex latentis adhuc veri alicuius manifestatione obvenire potest.

His verbis Cinna praeter consuetudinem sensit exulceratam mentem recreari, auditoque universi gemitu orbis, sibi visus est onus Aetna gravius suis impositum humeris deponere, in humeros plurimorum disper-tiendum.

Interea utriusque viri familiaritas ita crevit, ut se mutuo adirent, nec modo studiorum, sed mensae quoque communitate uterentur. Haud ita multo post Cinnæ gratius effectum est idem domicilium propter hospitis filiam, Antheam. Quae tam egregium nomen Alexandriae fuerat consequuta, ut non solum matronas Romanas, sed Graecos viros, Serapei philosophos, populum denique omnem ad sui spectaculum evocaret. Nullo detenta gynaeceo, sed domestica disciplina exculta, ubi primum excessit ex pueris, se totam legendis libris graecis, latinis, aegyptiis, cum patre suo applicuit, cuius a latere nunquam discedens et disputations cum ipso crebras habebat, et gravissimas interdum quaestiones enodabat. Ad haec arcanam quandam praeseferebat speciem quasi sanitatis, quod ei futura saepe paterent in somnis, multaque non oculis subiecta mortalibus adspicienda exhiberentur.

His de causis eam pater ferebat in oculis, eoque magis quod non omnis aberat metus ne ipsa haud satis

diu vitam produceret. Affirmabat enim se nocturnis visis terreri; saepe etiam divinae cuiusdam formae intueri splendorem, neque scire vitamne sibi an mortem lux illa portenderet.

Ab Aegyptiis, qui domum Timonis frequentes adibant, erat appellari solita *flos loti*, forte quod is frutex divinus haberetur ad Nili fluminis ripas: certe illum Homerus inter herbas deorum voluptati subnascentes primum nominat: vel quod qui semel adspxisset Antheam, illi mundanae res omnes perpetua essent obli-vione delenda. Nec sane minus forma quam sapientia praestabat, oculis Nili colorem referentibus, obtutu, instar illius gurgitis, arcane atque profundo.

Hanc ubi primum vidit audivitque Cinna, vehementer est admiratus; inde domum regressus desiderio quadam affectus est aerae in atrio excitandæ, in qua albas ei columbas immolarebatur; adeo sibi videbatur divinum ali-qui invenisse. Brevi eam deperire coepit; nec in virginis pectus tardum habuit ingressum amor.

— O fortunatum Cinnam! — ita saepe consularunt amici.

Easdem ille sibi reddidit voces statim ut ab Anthea nuptialis formula est recitata: *ubi tu Caius, ego Caia*.

Anno vix expleto a confectis felicissime nuptiis, Anthea coepit adversa conflictari valetudine excitari que somniis per quietem terrificis. Sub meridiem vero sibi videbatur sentire tacitos prope se gressus; mox ex stimabat venire ad se mortui hominis pallidum os ipsam intuentis et quasi invitantis. Quibus visis, simul atque imminebant, vehementer exterrita, super viri pectus corruens:

— Succurre, — clamabat — succurre, Cai.

Frustra undique arcessiti consultique sapientes: frustra medici apprime nobiles conati sunt aegrae adhibere curationem, donec, aucta in dies vi morbi, ea sequuta est infirmitas corporis atque gracilitas, ut cogeretur lectica deferri.

Intermissam Cinna moestitiam penitus revocavit indoluitque vehementius, quod capiti timeret rerum omnium sibi carissimo. Ne quid autem intentatum relinqueret, eam primum ad vicinitates Memphis secum duxit, ad umbram pyramidum, ubi quum nihil melius convalesceret, Alexandriam remigrarunt. Heic vero, omnia iam spe destitutus, hariolos, sagas, genus omne balatrones aegrae lateri adiecit.

Inter haec iudeus quidam advenit, inclyta fama medicus, nomine Ioseph, qui statim a Cinna advocatus, ubi Antheam inspexit, vesano daemonum urgeri spiritu ratus causatusque etiam periculum ex infesto aere propter Deltae paludes, mulieris Hierosolymam abducendae auctor viro fuit. Idque eo magis Cinnæ probatum est, quod in celeberrima illa urbe, Iudeae procurator esset Pontius Pilatus, secum amicitia coniunctus.

*(Ad proximum numerum).*